



v<sup>o</sup> 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.





78

I. N. J. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,

DISPUTATIO XVII.

Ex quâ

DE

ATTRIBUTIS DIVINIS CAR-  
NI CHRISTI COMMUNICATIS  
IN SPECIE

*Præside*

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.  
Licentiato, Profefs. Publico & ad D. Thomæ  
Ecclesiasse ;

*Respondente*

M. JOAN Holtkamp.  
Hamburgens.

XXI. Decembris, Anni 1648.  
*disputabitur.*

---

LIPSIAE,  
Typis HENNINGI COLER.



INTRODUCTIONS AD LOCOS  
DISPUTATIO VII.  
D. A.  
ATTRIBUTIS DIVINIS CAR-  
NI CHRISTI COMMUNICATIS  
IN SEPTUOR

JOHAN-BENEDICTO CARTOVV SS. Theol.  
Licentio, Profelo, Publico & ad D. Theol.  
Professe  
M. JOAN. BARNHART  
Hamburgensi  
X. L. B. D. A. M. 1744  
W. M. A. M.

LIPSIÆ  
Typo Harningeri Colleger





*Præstantissimo*  
DN. M. JOAN. Holtzkampff/  
Amico suo;

*De Christo & Antichristo distinctis congressibus A. D. XIII.  
& XII. Kal. Jan. instituendis disputaturo.*

**Q**uò ruis, HOLTZKAMPFI, parvum tibi quando videtur,  
Una tuum nomen pagina quò referat?  
Altera & è valvis oculis subjecta virorum,  
Doctorum, geminus sic tibi aditur agon?  
Ast benè! quo melius Christo tribuenda teneres  
Hostis ut ad pugnam prodeat antè cupis,  
Ille quidem magnus, qui sic contrarius audit  
Christo, ut non àlius pejor in orbe cluat.  
Hoc debellato surgit victoria major,  
In Christi laudes & via plana patet  
Ordo hic ergò placet, placet hæc industria, perge:  
Aurea pro ligno namque brabèa feres.

*M. J. Heche.*

---

**O**mnipotens est Christus, Homo, quærensque gubernat  
Toto incessanter quicquid in orbe viget.  
Huic quoque *judicium* faciendi à Patre potestas  
Concessa est, *quoniam* Filius est *Hominis*.  
Nil *Anti-Christo* cum Christo! quidve tenebris  
Cum luce aut Christo cum Beliale rei.  
Hos tamen, *Holtzkampfi*, jungit, doctissime, Christum  
Atque *Anti-Christum* conciliare studes?  
Non ita, perpulchrè Christi defendis Honores,  
Ast *Anti-Christi* facta pudenda notas;  
Hanc Satanæ sobolem deperdet Spiritus oris  
Christi, cui Patrem cuncta dedisse doces.  
Contra *Anti-Christum*, pro Christo, gnaviter urge  
Pugnam, gratamur, *hoc* duce victor eris.

Hebdo-



Hebdomas una videt te bis scandisse cathedram,  
Mox, ita si perges, præmia magna metes.

*Id quod Eruditissimo & Eximio Dn. M. Respon-*  
*denti, Amico & Conterraneo suo honorando*  
*de Anti-Christo d. 20. de Christo d. 21. Dec.*  
*disputanti, testinatis quidem & incomptis ver-*  
*siculis, ex animo tamen vovet*

M. David Scharfius Hamb.  
SS. Theol. Stud.

---

**P**ulchrè spectatur generosi militis ardor,  
Si Ducis in causa fortius arma movet:  
Tu quoque præclaræ sic prodis femina menti  
Quando Redemptoris vera Tributa probas.  
Perge diu cepto fortis consistere campo,  
Hinc olim lætus præmia digna feres.

*Quod Eximio Dn. M. Resp.*  
*ὀλοφύχως vovet*

---

Otto Helmericus Bierhaus/  
Es. Frif.





De

Attributis Divinis Carni Christi Com-  
municatis, in specie.

Disp. XVII.

Respond.

M. Joan

Holtzamp/

Hamburg.

XIX. Scriptura non in genere solum Majesta-  
tem Divinam Carni assumptæ communicatam  
esse, testatur, sed in specie etiam certa attributa no-  
minat ac eadem Carni communicata esse, tot  
verbis & apertè testatur.

§. I.

**B**Enè Chemnitius c. XXIII. pag. 160. monet, quicquid de tota  
Incarnationis mysterio & ita etiam de Communicatione  
Majestatis nobis in hac vita sciendum & credendum est, id ex  
sola Scriptura disci ac peti debere; ac quæ expressè ibi patefacta  
sunt, quòd in tempore data seu communicata sint assumptæ Na-  
turæ, de illis rectè nos asseverare, & in iis acquiescere ac me-  
ritò illis contentos esse debere. C. XXXII. p. 267. graviter id repe-  
tit. Semper repeto, scribit, hæc de illis sive *ωραρα φωρικα* sive *αυτικα φωρικα*  
sunt in humana Natura Christi, intelligenda esse, quæ habent  
manifestum verbi DEI testimonium. Quæ verò præterea quærun-  
tur & disputantur, de Humana Natura in Christo, de quibus non ex-  
tant peculiaris, certa & manifesta in Verbo Dei testimonia, licet  
propter hypostaticam Unionem & Immensam DEI potentiam negari  
non possint aut debeant, & ex generalibus Scripturæ dictis colligi pos-  
sint probabilis quedam argumenta, simplicius tamen & tutius est  
in illis vel astruendis vel destruendis non laborare sed rejicere illa ad  
æternam illam Scholam.

XX. Omnipotentia Carni Christi communi-

A

cata



cata non est creata & finita sed *ipsissima DEI potentia*, qua ex libera voluntate sua omnia absolute possibilis operari potest & etiam operatur, quæcunque vult operari. *c. XXIV. p. 166. b.*

§. 1. Ante omnia distinguendum est inter *Omnipotentiam* & inter *modum habendi Omnipotentiam*. Una numerò est Omnipotentia in Christo, quæ ei & secundum Divinam Naturam & secundum Humanam Naturam competit, sed non unus idemque modus habendi est. Nam secundum Divinam Naturam habet eam *essentialiter* & per *aternam generationem*: secundum Humanam verò Naturam, eam *personaliter* habet & per *gratiam Unionis*. Unde non sequitur, Humana Natura est Omnipotens: Ergo est Deus, aut duplex erit Omnipotentia. *Vid. Schröd. in Scept. Regali l. III. c. 3. p. 430. seqq. & c. IV. p. 450. 451.*

§. 2. Et *hic modus* habendi potentiam Infinitam, qui competit Christo secundum Carnem, non tantum cautè discerni à priori debet, sed & insuper non confundendus est cum *illo modo*, quo data illa potestas fuit *Apostolis*, & hodiè *omnibus Ministris Ecclesie* in peccatis remittendis ac convertendis hominibus datur. Nam Apostoli eam habuerunt & nos eam habemus *ωσπερ* *αὐτοὶ* *per* *nudam assistentiam*, ut *Chemn pag. 166. b.* egregiè id explicat, & ut *Organa separata: Christus* autem eam per *Unionem Personalem* accepit, & ut propria sit Carni, tanquam *instrumento inseparabili* *ἡ ἐν Χριστῷ* *p. 169. b.*

§. 3. Hanc potentiam infinitam esse Carni Christi communicatam clarè ac tot verbis planum facit ac testatur *Scriptura Sacra*, quod *prolixè alii ostendunt. Hutter. in locis Theol. f. 163. seqq. & in Form. Concord. pag. 803. seqq. Gerhard. in Exegef. §. 214. seqq.* Sed sufficere ad hanc rem potest unicum dictum Christi *Matth. XXIX. 18.* Si modò ejus tùm *Subiectum* tùm *Pradicatum* rectè cogitetur, & ex ipsis textùs circumstantiis consideretur.

§. 4. *Subiectum* est *Christus* non secundum Divinam naturam hoc loco spectatus, sed *secundum Humanam naturam*. Id quod



quod partim ex *contextu*, partim ex *parallelo loco* probatur. Ex *Contextu* argumentatur :

(1.) Secundum quam Naturam Christus infirmatus, passus, crucifixus ac resuscitatus est, & à discipulis secessurus erat, secundum illam intelligitur in *subjecto* hujus textus:

Christus secundum humanam Naturam fuit infirmatus, passus, crucifixus, & resuscitatus, & secundum eam, à Discipulis secessurus erat:

Ergo Christus secundum Humanam Naturam intelligitur in *subjecto* hujus textus.

*Minorē* nemo inficiabitur, cum non tantum humanæ Naturæ, sed etiam *soliis humanæ naturæ* sit infirmari, pati & crucifigi. *Major* ex *contextu* est manifesta. Opponit enim hæc Verba Christus scandalo Discipulorum, qui offendebantur dejectione & infirmitate ejus, & existimabant ipsum ut Filium Dei vivi verè quidem adesse, sed in assumpta illa externa specie, non in proprio illo suo corpore, quod & quia cruci affixum & sepultum fuerat. Huic dejectioni & infirmitati opponit *potestatem hanc* sibi datam p. 165. 6.

(2.) Secundum quam naturam Christus ad sui perfectionem potentiam in tempore & accepit & accipere potest, secundum illam intelligitur in *textu*.

Christus secundum humanam naturam ad sui perfectionem potestatem in tempore & accepit & accipere potest.

Ergo Christus secundum humanam naturam intelligitur in *textu*.

*Parallelus* textus est *Dan. VII. 13.* in quo *Subjectum* ab ipsa natura humana denominatur & aperte indicatur, secundum quam naturam Majestas, quæ in prædicato de Christo enunciatur, sit intelligenda. Et non sine causa in *textu* particula *quasi* similitudinis additur *כְּבֶרֶךְ אִנְשׁ* quasi *Filius hominis*, prout *Chemnitius* pag. 166. a. etiam retinuit hanc versionem. Non enim eam negatur substantia humana in Christo, sed ad *accidentia* naturæ humanæ respicitur, quæ illi in humilitate competierunt cujusmodi sunt infirmitas, egestas, vilitas, quibus & id genus aliis fe-



Etus est similis filiis hominis id est hominibus egenis, afflictis, ingloriis & infirmis.

S. 5. Prædicatum est Datio Potestatis passivè accepta & in tempore facta, quæ de Christo secundum humanam naturam enunciatur. Ubi de ἐξουσία voce notandum, quomodo aliàs differat à voce δύναμις, ἰχὺς, κρᾶτ̄ & ἐνέργεια, quibus hinc vocibus Spiritus S. potentiam Divinam, ejusque respectus distinctos enunciare solet. Δύναμις est potentia seu vis ac facultas agendi, quâ DEUS, extrinsecus potest operari omnia quæcunque liberè vult. ἰχὺς robur significat qualitatem δυνάμεις, & quasi illius determinatio est, ostendens validissimam eam esse, cui nulla vis possit resistere. κρᾶτ̄ denotat potentiam exertam seu vim agendi in actō secundo & cum efficientia conjunctam, quando vis agendi ipso actū declaratur quasi exerto brachio. Ἐνέργεια est ipse actus seu exercitium potentia. Ἐξουσία verò, est potestas seu jus & libertas agendi, wenn man fug und Recht hat etwas zu thun/it. Gewalt oder Macht etwas zu thun/ ab ἐξουσία id est licet, inde ἐξουσία licentia legitima id est jus, & quæ jus istud comitatur, autoritas ac dignitas. Si Jam quæramus, quid per ἐξουσίαν intelligatur? Respondeamus ipsam potestatem Divinam hic insinuari (1.) quia πᾶσα ἐξουσία vocatur, Omnipotestas quæ attributum divinum, unde uno vocabulo rectè appellari potest παντεξουσιότης pag. 169 a. (2.) quia potestas est in cælo & in terra, quâ Phrasi potestas hæc non circumscribitur limitibus suis, sed notatur ejus amplitudo, qua se ad omnes Creaturas sive sint in cælo sive in terra, extendit. Confer Matth. XI. 26. Job. XIII. 3. c. XVII. 2. Eph. I. 21, 22. (3.) quia per æternam & infinitam potestatem, in locis parallelis describitur Dan. VII. 14. Ps. II. 8. IIX. 7. 1. Cor. XV. 27. Eph. I. 20. Ebr. II. 8. Phil. III. 21. Apoc. 5. 22. (4.) cum potentia Divina conjuncta est & cum ejusdem exercitiis. Nam utrumque Scriptura tribuit Christo secundum Carnem, potentiam quidem Apoc. V. 12. Luc. XVII. 69. Matt. XXIV. 12. Eph. I. 19. 20. Exercitia verò potentia hujus Ps. CX. 3. I Tim. I. 12. 2. Tim. IV. 17. Ita Chemn. p. 167. b. 168. a. & b. 169. a. Hæc Divina potestas data esse dicitur Christo (1.) non per redditionem, cum secundum Divinam Naturam in eum non cadat ulla melioratio aut Exinanitio;



ntio; neque (2.) simpliciter quoad officium intra limites regni & pontificatus Christi coarctatum, cum non de officio tantum, sed de potestate & potentia officii etiam agatur; sed (3.) quoad veram & realem Communicationem, ut sicuti secundum Deitatem suam ab æterno per æternam generationem eam habuit, ita nunc secundum humanitarem suam eam habeat & possideat per Unionem Personalem. Vid. Gerhard. in Exeg. §. 214. p. 1385. seqq. Mentzer. Tom V Gif. Disp. IIX. p. 126. in AntiMarino p. 468. seqq. Fevverborn Fascic. I. Disp. 3. th. 125. p. 216 seqq. Dn. D. Schmidius in dissertationibus super Dan. VII. 13. 14. & Matth. XXII. 18. habitis, illa quidem 1642. Hæc vero 1647. Broehm. in Loc. de Christo deæ. ἁπόθεν Sect. VII qu. 1, 2 & 3.

**XXI. Vis & Potentia vivificandi Divina Christo secundum Carnem Communicata est cap. XXIII, pag. 175. a.**

§. 1. Vis vivificandi est in se Divina, unde & Deo Patri tribuitur, qui eam in seipso habeat Job. V. 26. Eandem vim verò Christus habet. Et quidem, quæ DEUS per æternam generationem; sed quæ homo est, per Unionis gratiam eam accepit. Vivificatio autem inde pendens triplex est (1.) naturalis, quæ per Unionem animæ & corporis vita hominibus datur Act. XVII. 28. quò etiam corporalis resurrectio in extremo die pertinet. (2.) spiritalis & (3.) æternalis, qua post reduntionem corporis & animæ resuscitati transferuntur in vitam æternam 1. Cor. XV, 22.

§. 2. Hanc potentiam Carni Christi fuisse communicatam, probatur ex Job. V. 26. & Job. VI. 5. p. 175. a & b Et quod ad prius dictum attinet, negari non potest, à Patribus & Orthodoxis recentioribus bifariam istud explicari. Quidam enim ut Augustinus in l. XV. de Trinit. c. 26. Tract. in Job. XIX. Ambrosius l. IV. de fide c. 9. & l. V. c. 2. Nazianzenus de Theologia, Lutherus in ultimis verbis Davidis, Chytræus, Wigandus, Hunnius & c. ad Divinam naturam referunt, & de datione Filio per æternam generationem factâ, interpretantur. Contra ad Humanam Naturam istud



pertinere statuunt, ac de largitione temporali interpretantur  
 Cyrillus l. 2. in Johann. c. 144. Euthymius. absq; Noster Chermanitius u-  
 tramque interpretationem conjungit & ostendit, *principaliter*  
 ad Divinam Naturam quidē respici in hoc textu, sed tamen quia  
 per vocem suam, organis assumptæ humanitatis formatam, mor-  
 tuos suscitavit & dat vitam æternam, idē in *progressu Orationis*  
 etiam ad *humanam* naturam respici, & ostendere Christum,  
 sibi etiam datam vitam æternam, ὅτι, quia *filius hominis* est, præ-  
 fertim si conjungatur cum v. 21. 28. 29. & cum altero textu *Joh.*  
*VI, 55.*

§ 3. Quod enim ad hunc alterum textum ex *Joh. VI. 51 seq.*  
 attinet, rectē ex eo *Ephesinum Concilium* definivit, *Carnem Christi*  
*esse vivificantem & vivificare*, contra *Nestorium* qui id negabat. Ex-  
 presse ibi non tantum *Caro* nominatur, sed etiam de ea  
 enunciatur, quod (1.) ὁ λόγος per ejus traditionem in mortem  
 mundo vitam restituerit. (2.) vitam æternam credentibus per  
 eam largiatur & impertiat. (3.) aliquando omnes homines per  
 eam & voce sua humana sit resuscitaturus p. 176. a. & 6.

§ 4. Dicitur autem *Caro Christi vivifica* non quod (1.) in  
*abstracto*, & ex se & per se talis sit, neque (2.) *subjectivè & forma-*  
*liter* per effusionem essentialē vitæ vivificantis extra Divi-  
 nam naturam in *Carnem*, sed (3.) *prout in Unione* spectatur, &  
 cum cæteris Divinis ἀρχήμασι etiam *hanc vim & virtutem* ac-  
 cepit, ex qua & per quam (4.) *Humana Natura* operationē suam  
 exerit, ut (5.) vivificet *non tantum per modum ἐνεργείας*, quatenus  
 concurrat ad efficientiam vitæ moriendo, resurgendo, vocando  
 &c. sed etiam *per modum ἐνεργημάτων & effectus*, quatenus vitam  
 ipsam ut *Organum ἐν χηρῶν* operatur & efficit.

§ 5. Neg. huic Virtuti vivificandi *obstat mors vera & natu-*  
*ralis Christi*. Semper enim inter *possessionem virtutis & exercitium*  
 ejus plenarium ac perpetuum distinguendum hinc est, quo posterum in  
*statu Exinanitionis* ac mortis sese abdicavit Christus. Præterea  
 mors illa supervenit non ex necessitate, sed ex *libera dispensatione*,  
*Joh. X* duravitque non perpetuo, sed *ad tempus*. Ut ut itaque *Caro*  
*Christi* verè mortua fuit, tamen nihilominus *subsistentiam suam*  
 ba-



habuit in λόγῳ & mansit vivifica, ac retinuit potestatem sumendi vitam depositam, & superandi mortem ac Satanam. De hujus virtutis Communicatione videatur Rungius Diss. V. Anticalvin. c. 11. p. 149. seqq. Gerhard Exeges. §. 216. p. 1389. Hutter. in Locis Theol. f. 174. seqq. Brochmand. in L. de Christo & ἀνθρώπων Sect. XI. p. 809 seqq.

XXII. Potestatem faciendi iudicium universale, Christus secundum Carnem suam etiam accepit in unione Personali c. XXIV. p. 126. b.

§. 1. Potestas faciendi iudicium est Divina potestas, quia presupponit (1.) Omniscientiam & scrutationem cordium, Rom. II, 16. 1. Cor. IV, 5. Eccl. XII, 14. (2.) jus vita & necis, & (3.) ipsam vim ac potentiam exequendi sententiam p. 176. b.

§. 2. Non autem in visibili forma & assumpta Natura humana tantum Christus apparebit, sed in ea, cum ea ac per illam iudicium extremum etiam exercebit, atque ita quoad humanam Naturam, potestatem illam in tempore accepit personaliter, quam secundum Divinam naturam essentialiter, naturaliter ac ab aeterno habuit. *ibid.*

§. 3. Probatur i. dicto Job. V, 27. p. 176. b. 131 a Postquam enim v. 22. dixerat Christus, Patrem omne iudicium dedisse Filio, notanter addit, *etiam*, ut significet, sub illo iudicio contineri ἐξουσίαν, potestatem seu auctoritatem faciendi iudicium. Haec ἐξουσία etsi Filio ab aeterno competat secundum Divinam Naturam, tamen clarè testatur, eam etiam sibi in tempore à Patre fuisse datam quod Filius hominis est h. e. secundum Humanam Naturam. Syrus Paraphrastes, & Chrysostomus (uti Chemn. c. XLVI. Harmon. Evang. p. 190. etiam annotavit) distinctionem faciunt, ac verba haec, quod filius hominis est, à v. 27. revellunt, & ad seq. v. 28. referunt. Sed (1.) quia perversa inde Syntaxis oritur, (2.) omnes graeci codices, qui haberi potuerunt, repugnant, quod Beza in b. l. observavit, & (3.) omnes Latini Patres, Augustinus l. 1. de Trin. c. 15.

Vigia



*Vigilius contra Eutichem, nec non ceteri, ex Græcis Cyrillus usitatam textûs distinctionem habent, meritò etiam eam retinemus.*

§.4. Probatur 2. ex *temporis determinatione*. Accepit enim in tempore: E. secundùm humanâ Naturam: 3. ex *visibili ad iudicium reditu*. In humana enim Natura omnes agnoscent potestatem illam iudicii, sentient eam & fatebuntur *Rom. XIV, II. Phil. II, 10.*

§.5. Et hæc summa Christianorum consolatio est. *In, cum & per illam naturam Christo iudicabit, qua frater & cognatus noster est, & in qua pro nobis passus, crucifixus & mortuus est ac pretium redemptionis persolvit, p. 177. a. Vid. Gerhard. in Exeg. §. 217. p. 139. seqq. & Tom. IX. §. 28. seqq. p. 74 seqq.*

**XXIII. Vis purgandi & mundandi corda ac conscientias à peccato, Carni Christi in Unione Personali communicata est, p. 177. a.**

§.1. Potestas purgandi ac mundandi corda est divina, & nulli meræ Creaturæ competit, quod Prophetæ ostendunt *Esai. XLIII, 25. Ezech. XXXVI, 26. Ps. LI, 9. 12. & Pharisæi confitentur Marc. II, 7.* Sed non minùs & hæc Carni Christi est communicata quâ (1.) non tantùm *meruit* remissionem peccatorum *Matth. XXVI, 28. Ebr. I, 3. Col. II, 14,* Sed & (2.) eandem *applicat* in regeneratione & justificatione. *i. Job. I, 7. Eph. V, v. 26 i. Job. V, 6.*

§.2. Probatur (1.) quia non in *Concreto Persona* tantùm de Christo Scriptura testatur, quod *mundet & remittat* peccata, sed etiam in *Abstracto Persona* quod idem est cum *Concreto Nature*, de *Filio hominis*, quod habeat *potestatem in terra remittendi peccata Matth. IX, 6. de sanguine Christi i. Job, I, 7. Apoc. I, 5. agni Apoc. V, 9. VII, 14* quod lavet & purget à peccatis. (2.) expressè *vis ac virtus* notatur, secundùm quam mundet hic sanguis, *divina potentia scil. & λόγος* personaliter cum Carne unita & inhabitans in ea *Ebr. I, 14. Act, XX, 28* (3.) sanguis ex corruptibilium seu

ca-



caducarum rerum censu eximitur. i. *Pott*, 18. V. *Gerhard. Exeges.*  
S. 234. p. 1420.

**XXIV. Omniscientia Divina etiam Christo secundum Carnem verè ac realiter est communicata, p. 174. a.**

§. 1. Præsupponitur hic, Omniscientiam esse *ιδίωμα & λόγος*, & proinde cautè à *finitâ & habituali*, de qua supra dictum est, distinguitur. Quoad *hanc* enim *JESUS crevisse* dicitur: quoad *illam* verò *non crevit*, sed fuit *ωληρόμενος* *Luc. II, 40.* plenus sapientia, quia scil. tota plenitudo sicut Divinitatis, ita etiam Sapientia, & Scientia divina, personaliter in natura humana inhabitavit p. 174. a.

§. 2. Sunt nonnulli Theologi, qui etiam quoad Divinam Scientiam Christum crevisse volunt, non quidem in ipsa Scientia, quæ in se invariabilis est, sed in *ejusdem usurpatione*. Sed quid in recessu hoc habeat, docuit nos *Tubingensum Controversia*. Tutius abstinetur à phrasibus hisce, & ipsa majestas scientiæ divinæ ab usu seu exercitio ejus tam particulari, quam plenariò distinguitur. *Ipsa Majestas scientiæ* Carni Christi fuit communicata: per *Exinanitionem* verò, exercitium plenarium ejus fuit suspensum, & tantum *liberè & particulariter* eam usurpavit, quoties fuerit ei visum. Unde & *verè ignorasse in Exinanitionis statu* dicitur *multa*, non tantum quoad *actum naturalem*, sed etiam quoad *actum Personalem*, quo reverà sese evacuavit, de quo videantur *Domini Theol. Saxon. in Apolog. contra Tubingg. sect. 2. c. 9. p. 286. seqq.*

§. 3. Fuisse verò Carni Christi communicatam hanc *divinam scientiam*, probari potest (1.) ex *Scripturæ S. apertis testimoniis* *Luc. II, 40* dicitur *ωληρόμενος* Sapientia. Ubi, uti & in *Harm. Evangel. c. XV. p. 267.* notavit Chemnitius, in græco textu est *Participium Passivum Presentis tēporis* quo *ipsam Possessionē* Omniscientia



entiæ divinæ designat. Cum hoc jungatur alterum dictum *Col. II, 3.* Quia enim unâ voce græc. *ὡληθόμεν*  $\Theta$  verti non potest, in h. l. id ita interpretatur Apostolus, ut dicat *omnes thesauros sapientiæ & cognitionis in Christo esse ἀπορροῦσας*, tum pro statu *Exinanitionis*, in quo possidebat illos, non verò plenariè exerebat, tum pro statu *glorificationis*, in quo & mundus pro stultitia illos habet, & credentes etiam non ex toto eos assequuntur, *p. 174. a. 175. a.* (2.) à minori ad majus; Si Elifæus Spiritu Prophetico viderit, quid Gehasi ageret absens *1. Reg. V, 26.* & si sancti in æterna vita perfectâ & plenâ visione DEUM cognituri sunt, *1. Cor. XIII, 10* quæ impietas esset, Christi animæ, cui ipsa sapientia divina personaliter unita est, Omniscientiâ detrahere? *p. 174. b. 175. a.* (3.) ex particulari exercitio Omniscientiæ Divinæ *Job. I, 50. Matt. XXI, 2. Luc. XXII, 10. 31. Matth. IX, 2. XXII, 18. & c. 175. a.* vid. *Rungius Diss. III. Anticalv. Th. 15. p. 55. seqq. Gerb. §. 215. Exeg. p. 1388. Hutter. in Form. Conc. p. 837. & in Locis f. 171. seqq. Brochmand. Loc. de Christo Θεανθρωπῶν p. 796. seqq. Tarnov. in Johann. p. 232. & seqq.*

*XXV. Cultus adorationis religiosæ Christo secundum Carnem competit, ut verè ac realiter dici possit, Caro Christi est adorabilis c. XIV, p. 180. a. c. XXIX, p. 221. seqq.*

§. 1. De religioso cultu quæstio est, qui *monadicus* & nullas species admittit, uti *B. Hopfn. in Epitom. corruptelarr. Pontificiarum in colenda gloriosissima Virgine Deipara Th. XVI.* prolixè ostendit ac probavit. Includit autem ejus, qui invocatur, *notitiam, assensum & approbationem* eorum omnium, quæ de objecto hoc adorabili in Scriptura traduntur, *fiduciam in eo collocatam, Honorem, amorem, spem ac metum p. 180. a. p. 222. a.* ut ita una eademq; sit adoratio, quâ *λόγῳ*  $\Theta$  incarnatus cum assumpta sua carne adoratur, *p. 225. a.*

§. 2.



§. 2. *Objectum* hujus cultus, prout in secunda Persona SS. Trinitatis ille terminatur, post *ἐνοσωμείωσιν* non est (1.) sola Divina Natura Filij, sed (2.) tota Persona secundum utramq; Naturam, & quidem (3.) secundum Humanam naturam, non (4.) propter habituales Excellentiam, aut (5.) per accidens tantum, & licet purpura Regis externâ quâdam exosulatione honorari solet, p. 221. b. 222. a. Sed (6.) quia in Persona ἑ ἰδὺς subsistit ἡ Ἐσσηντιὰμ Divinam ἑ ἰδὺς cum omnibus proprietatibus possidet p. 180. Hinc per adorationem hanc Gloria D E O propria alteri non datur *Esa XLII. 8.* Humana enim Natura non est alter seu altera Persona, nec alterum Christum facit, licet sit alia Natura à Divina Natura. Ita Cyrillus ἑ Orientales Episcopi hoc explicarunt, quorum testimonia p. 225. b. ἑ 226. allegantur.

§. 3. Adoratio hæc probatur (1.) ab *Officij administratione*. Secundum quam enim Naturam Christus est noster Salvator, secundum illam etiam adorari debet, 180. a. Nimirum fides Ecclesie credens in Christum ἑ adoratio invocans, glorificans, colens Christum, intuetur Personam illam non tantum, ut aeternum, summum ἑ infinitum principium omnium, sed ἑ præcipue, ut Redemptorem suum, Propitiatorem, Salvatorem, Justificatorem, Mediatorem, Regem, Pontificem, Caput suum, seu ut planius dicam, non tantum vel Personam vel naturas, sed præcipue Officium ἑ Beneficia ejus &c. scribit Chemnitius p. 213. a. Et paulò post fac. b. Ex hoc fundamento certa ἑ manifesta consecutione concluditur, *Objectum*, quod fides ἑ adoratio seu invocatio, cultus, Glorificatio, in Persona Christi intuetur ἑ apprehendit, non tantum divinam ejus naturam esse, sed etiam assumptam humanam ejus naturam, sicut appellationes officiorum tribuuntur Personæ secundum utramq; Naturam. (2.) ex testimoniis Scripturæ, quæ in adoratione Christo vindicata aliquoties expressè Nature Humane meminit: Primogenitum in mundum in Carne introductum adorare debent Angeli *Psal. XCVII, 7.* *Ebr. I, 6.* in illa natura, in qua descendit sicut pluvia in vellus *Pf LXXII. 6.* secundum quam Exinanivit sese *Phil. II, 9.* secundum quam in tempore ei traditæ sunt gentes in peculium *Pf. II, ult.* (3.) secundum quam Naturam Christus Exaltatus ἑ Caput




*put ac Dominus factus est, secundum illam etiam debet adorari:*  
 Sed Christus secundum Humanam Naturam est exaltatus, &  
 Caput ac Dominus factus: E. Christus etiam secundum Huma-  
 nam Naturam debet adorari. *Major & Minor* ipsissima Scri-  
 pturæ verba sunt, si textus modò *Rom. XIV. 8. 9. Actor. II, 36.*  
*Philip. II, 9. 10. 11* inspiciantur, & aliquantum devotè recogiten-  
 tur *p. 224. a & b. (4.) ab exemplis.* Tota triumphans Ecclesia agno-  
 hunc honorem defert, *Apoc. V, 13. 14. Stephanus* Filium hominis  
 inclamat, *Act. VII, 60. Thomas* contrectatis vulneribus Christi di-  
 xit: Dominus meus & DEUS meus *Job. XX, 28. p. 180. 222. a. 223.*  
*b. 224. a. & c. (5.) ex Consensu veterum Orthodoxorum,* qui non  
 tantum clarè testantur, hac una adoratione Christum hominem  
 adorari, sed etiam multis in locis ipsam Carnem seu Humanita-  
 tem ejus adorari, docent. Verba ipsa prolixè adducit *Chemnit.*  
*p. 225. 226. 227. 228.* Pro quo contra Danæum fortiter militat  
*Rungius Diss. V. Anticalvin. c. I, p. 130. seq. & Hutter. in Locis Theo-*  
*logg. f. 178. seqq. Gerh. in Exeg. S. 236. seqq. p. 1421. seqq. Brochman.*  
*de Christo δεαυδρωτω Sect. XII, p. 812. seqq. ad 817. Disputa-*  
*tiones peculiare D. Majoris olim Jene 1610. & D. Christi-*  
*ani Matthie Gisse 1619. habita.*




AB 42  $\frac{3}{i,9}$

VO 17









Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

78

*R. N. J. A.*

ATIONIS AD LOCOS

log. B. Chemnitii,

UTATIO XVII.

Ex quâ

DE

IS DIVINIS CAR-

COMMUNICATIS

N SPECIE

*Præside*

CTO CARPZOVV SS. Theol.

efs, Publico & ad D. Thomæ

Ecclesiae;

*Respondente*

IOAN Holtkamp.

Hamburgens.

decembris, Anni 1648.

*disputabitur.*

LIPSIAE,

HENNINGI COLERI.